



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Abnegatio sui quænam sit, quomodo, & quibus ea assumenda,
exercendaq[ue] sit. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

spicuum. Quæ nos paucis idcirco commemorauimus, vt excludamus eorum errorem, qui putant solis elaborata monachis, quæ ad perfectionem pertineant. Desidia ac tepor hominum facit, vt sublimia videantur, quæ tamen haud difficile etiam quiuis præstare possit, si Christum ardentè amaret.

ENCHRIDION CHRIS-
TIANÆ MILITIÆ AD NOVI-
TATEM VITÆ, QUÆ EST IN CHRISTO IESU,
perfectè instituens, cunctis probè fidelibus
vehementer utilis.

Abnegatio sui quænam sit, quomodo & quibus ea ad-
sumenda exercendaq; sit.

CAPVT I.

QVOT in locis Paulus, de veteri nos hominè aut crucifigendo, Gal 5.6
aut mortificando, aut certe exuendo commonefaciat, nemo qui Colof. 3.
studiosus est, ignorat. Id ipsum Christus quoque non semel ad- Ephes. 4.
monens ad nostri nos abnegationem aded inuitat, vt hanc vnâ
dicat imitationis sui formam. Si quis, inquit, vult venire post Matt. 10.
me, abneget semetipsum. Certissimum est enim, cum diuersa prorsus sit nostra Luc. 9.
vita à vita Christi, nos ante oportere vitam abnegare nostram, quam illius
incipiamus, aut possimus imitari. Desinas igitur necesse est esse superbus, au-
tequam humilis fias, & mitis cor de. Siquidem quod de veteris hominis exu- Abnegatio
tione Paulus, hoc de eiusdem abnegatione loquitur Christus. Hinc constat, quænam sit
quàm ferè lugendi sumus omnes, qui de verborum quidem horum significa- inipsum.
tionibus, hoc est de abnegatione & mortificatione differere nouimus, maxi-
mè ij qui aut sacra expositionem scripturæ, aut vitam spiritualem profite-
mur, rem autem ipsam abnegationis mortificationisve prorsus ignoramus.
Cernimus palam, quomodo penè omnes tum docti tum pariter indocti, Viam carnis
ecclesiastici & plebei sequimur viam carnis, fouemus veterem hominem, se- sequentium
quæmur & propugnamus desideria nostra vitiosa: nihilo secius tamen inter- multitudine
ta & Evangelici, & Ecclesiastici, addam quoq; & spirituales dici volumus: cū quænta.
tamè quare vel E. āgelici vel Ecclesiastici, vel certè spirituales, aut (si maui) verum que-
religiosi nuncupemur, hoc solum in causa esse debeat, quia veterem hominē, quæ efficiant.
mortificamus interiorē verō & qui secundum Deum est, colimus, quia nos Rom. 8.
abnegamus, Christum sequimur, & (vt simul omnia dicam) quia non secun- Gala 3.
dum carnem ambulamus, sed facta carnis mortificatē, spiritu ambulamus.
Hea Domine Iesu, quomodo de mortificationis siue abnegationis præ-
cepto,

cepto, præter vocabulum & nominis expositionem (quæ in ore & prædicatione est omnium) pene nihil retinimus. Per vniuersum mundum, paucis tuis amicis exceptis (qui mundo sint fabula, opprobrium, & derisio) secundum carnem tantum vivitur, quasi quicquid benedicto tuo ore nos tu, aut spiritu tuo per sanctos seruos tuos docueris, tunc impleuerimus, tuncq; tibi sit satisfactum, si hoc ipsum quod docuisti, quod iussisti, quod præcepisti, intellexerimus, indeq; coram alijs hominibus didicerimus loqui, licet nihil horum quod abs te doctum aut præceptum est interea facientes.

Fuga seculi, quam sit necessaria & abstractio vitæ quomodo sit sectanda.

CAPVT II.

Ioan. 5.

Gen. 6.
Fuga seculi
quam sit ne-
cessaria.
Gen. 11.
Gen. 19.
Psal. 54.

Hier. 47.
Hieron.
Mundus
quomodo lo-
sit fugiendus.
Rom. 8.
Ioan. 16.

Vitæ abstra-
ctæ agenda
quæ.

SI sanctus Apostolus Ioannes mundum vniuersum (vt eius vtar verbis) in maligno suo æuo dixerit positum, quid modo de eodem seculo indies degenerante, indiesq; corruptiore sentiendum est? Videmus certè labefieri quotidie magis omnia, adeò, vt quæ olim lutea quædam videbantur, hodie si reperiri possent, præferrentur auro. Cum ergo vniuersæ sit carnis vitæ corrupta, quid agent tibi est aliud, iuxta spiritum viuere cupienti, quam vt cum Abraham fugias de Hur Chaldæorum, fugias de terra & cognatione tua, recedas cum Loth de Sodomis, elongaris cum Dauid in solitudine, cum Paulo & Antonio recedas in desertum, cum Arsenio audias inter aulicos constitutus angeli vocem: *Fuge, tace, quiesce*: hoc est, cum in mundo centum qui te malæ vitæ exemplo, verborumque contagio corrumpant, & ne vnus quidem interim qui te ædificet, quiue malorum exemplaria sectantem teruocet inueniatur: quid, inquam, aliud restat, quam vt fugias de medio Babylonis, saluesq; animam tuam, idq; potius fugiendo (quod diuus docet Hieronymus) quam temere pugnando. Fugias autem mundum non corpore, (Quo enim ires extra mundum?) sed consuetudine & conuersatione, si paucis hoc verbis dici oportet. Necessè est vt abstractâ agas vitâ à cõmuni aliorum hominum vitâ, potissimum qui eiusdem nõ sunt propositi sequestratus: quamobrem si quid tibi sustinendum fuerit (sint probra, sint derisiones,) à mundo te scias sustinere, qui Christi spiritum non habet, nec potest accipere. Fugas igitur mundum, hoc est, à corruptione hominum te subducas, & abstractam solitariamq; vitam agas, vbi quod te scandalizet non videas, vbi non audias adulantem, vbi inuidentem non sentias, vbi denique tibi neminẽ habeas obstrepentem. Erras si inter pocula sobrius, si in conuiujs abstemius, si pudicus inter foeminarum greges, si inter garrulos perseverare taciturnus velis. Solitudinem igitur eligas necesse est, vbi Christo viuas absconditus, & nemo sit qui sanctum tuum propositum, aut carpat, aut rideat, aut impediat, aut etiam inturbet. Solitudinem, inquam, eligas iuxta tui status conditionem, vt quicquid à Deo te abstraxerit, quicquid à Deo te impedierit, remoraturue ad eundem accessum, hoc quantum potes & licet, à te proficias.

Modus statusque strenuè Deo seruiendi vt sit necessario cuique deligendus.

CAPVT